



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Anastasivs 22. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

Viribus quidem erat inferior, at animo superior
& ejus tum fides, tum charitas major.

3. Amplioris fortunæ promissis allicitur ad nuptias; sed ut suppliciiis, sic lenociniis resistit. Quam pauci delitiis, muneribus, blanditiis non vincuntur. Cave, voluptas venenum suave est. *Malum omnino facilius vincitur, quam voluptas; quia illud quidquid horridum est, hoc blandum est.* Cyprian,

S. ANASTASIVS

22. Januarii.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.

S. Paulus ad Rom, 12

OPima spolia abstulisse in Persiam Chosroas putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè, multorum fides nostra in animum simul Crux in oculos venit, interque ANASTASII celebris magi filij, qui, e de Cruce Crucisque anathemate multo riosè quæreret, jam tum gestiebat magi pati pro maxima patiente Christo. Itaque sanctissimus transfuga Jerosolymæ Christianum, mox Monachum induit: nullâ re delectatus, uti res fortiter à Divis gestas

gen

gendo, Martyribus præsertim, quibus ille
 tot palmas Tyro invadebat, & interea, cum
 sanguinem nondum posset, lachrymas uber-
 tim fundebat. Ut primùm ergò in privato
 pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò
 hostem lacessens. Igitur ad latomias dam-
 natus, saxa tulit, dein verbera; at ille supi-
 nus membra etiam nuda lubens pulsanda
 præbuit, modò vestibus sanctis parcerent.
 Tanti ille jam tunc fecit cucullum, quem
 heri natus, ridet hodie hæreticus; Cæterùm
 collum pedemq; communibus cum nescio
 quo scelerato vinculis ligatus, dies noctesq;
 velut Hilaria inter cantus solennes traduxit,
 ut jam ad se Coelites etiam raperet, ponti-
 ficali majestate, & insolito splendore insi-
 gnes, quos inter visus est unus aliquis odo-
 ribus (Ah! qualibus?) Martyrem venerari.
 Igitur post altera virgarum clavæque verbe-
 ra, post tibias fractas aliâq; supplicia tandem
 cum XL. fociis, Martyrum torque, laqueo
 est donatus. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O

De triplici causâ patiendi.

I. **I**N hac miseriarum valle pati debemus, utpote
 cum homines simus ad laborem nati. Corpus

D 4 &

& animam nostrā multa circumveniunt incommo-
 da. Corpus quidem infirmitatibus obnoxium est
 anima vetō ignorantia, & affectibus immoderatis.
 Quo animo pateris vitæ presentis incommoda
 Num moroso? num iniquo? Memineris hominem
 te esse. *Homo natus ad laborem.* Job.

2. Peccator es, quid igitur infliccos & divini
 Justitiæ labores detrectas? Ah! quam jucundi
 runt dolores illi, si reputaveris, te tuis criminibus
 infernum meritum fuisse. Unicum laboris momen-
 tum æternas flammās extinguit. Ah Domine! *Hu-*
ire, bis seca, modè in æternam parcas. August.

3. Christianus es, debēs igitur vivere vitam
 Christi, & adimplere in corpore tuo ea, quæ de-
 sunt, passionum eius: ea necessitas in baptismo in-
 ponitur tibi: Si diligenter ad eam patiendi lege-
 attenderes, æquiori animo hujus vitæ mala tolera-
 res: decet Christianam, æquo ac alacri animo
 omnia perpeti.

S. JOAN. ELEEMOS.

23. Januarii.

Quicumq; potum dederit uni ex mi-
nimis istis Calicem aquæ frigidæ
tantum in nomine discipuli:
amen dico vobis, non perdet merce-
dem suam. Christus, Matth. cap. 10.